T. Livii

antiquissimarum rerum Romanarum historiis quae fides atque auctoritas tribuenda sit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non desunt, qui de clarorum virorum, qui in historiarum libris nominantur, vita et factis vel perperam omnino vel inique iudicent. Id inde maxime fieri solet, quod veteres scriptores, seu quodam partium studio seu vana sui populi gloria ducti erant, iam falsa memoriae prodiderunt aut eorum fides atque auctoritas ab iis, qui ex illorum libris res sumunt, aut pluris aut minoris aestimatur. Cuius quidem generis exempla in historiis rerum cum aliorum populorum tum Romanorum occurrunt, quae vel ad universam rempublicam vel ad singulos homines pertinent. Quibus ex exemplis pauca et ea luculenta vobis, *gymnasii nostri Theodoriani alumni,* hic afferre constitui, quo manifestius cognoscatis, in rebus publicis iudicandis quam cautos nos esse deceat, ne omnia, quae a scriptoribus prodita sint, facile temereque aut vera aut falsa esse existimemus. T. Livii historiarum, quarum lectio adolescentibus literarum studiosis semper in deliciis fuit, vel imprimis rationem habendam esse duxi. Neque vero novi quidquam neque inopinati afferre in animo mihi est, sed quae ingenium vestrum atque iudicium alant et acuant, unde intelligatis, qualis sit is, cuius scripta per paucos annos quotidie fere cum diligentia ac studio teritis, qua fide antiquissimas res Romanas narraverit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I.

Res Romanorum antiquissimas Livius quinque primis libris mandavit. Quas omnes veras esse, per multa saecula inter doctissimum quemque et homines literarum rudes sine ulla dubitatione usque ad nostram aetatem constabat. Abhinc nonnullos annos primus Beaufortius, tum Niebuhrius, qui vir eruditissimus, etsi Wachsmuthius iam tum multa refellit, universam aetatis antiquioris historiam Romanam prorsus mutavit et denuo finxit, quemque nos quoque in plerisque rebus sequimur, post eum alii de rerum illarum, quas Romanos gessisse ait Livius, antiquissimarum veritate addubitarunt. Qui quidem viri eruditissimi atque doctissimi, quamvis in multis rebus recte monuerint, in aliis tamen errarunt atque conatu doctrinaque sua plurimos cum alios homines tum adolescentes literarum studiosos induxerunt, ut ea, quae vera esse neque ignorat neque debet nescire quisquam, in dubitationem vocarint. Atque etiamsi nobis profitendum est, cuiusque hominis animo menteque praediti proprium esse, quid verum sit, inquirere nec quidquam temere probare, viris tamen priorum temporum eruditis potius assentimur, quoad causis gravissimis, quominus sententiam mutemus, non impedimur, ac veterum auctoritate scriptorum optimo iure nos confidere persuasum habemus. Itaque, si res Romanas legimus, quid imprimis ipse nobilis ille earum auctor, quid, inquam, praeter alios Livius de iis iudicaverit, operae pretium facimus, ne falso eas diiudicemus, si sagacius investigabimus. Proinde eius libros inspiciamus et vera a falsis secernamus!

In praefatione (§. 6.) legimus: »Quae ante conditam **condendamve** urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est.« Locum haud luculentum alii aliter interpretati sunt. Cui qui sensus insit, quaeritur. Primum igitur quaerendum esse nobis videtur, quo casu illud: »poeticis fabulis . . . incorruptis monumentis« scriptum sit. Aliis enim vocabulum »decora« hoc loco idem esse atque *apta* vel *convenientia*,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliis idem ac *decorata* vel *ornata* placuit, ita ut illi casum tertium, hi casum sextum accipiant. Si casus tertius est, vocabulum »decora« ad »poet. fab.« solum referendum est, si sextus, ad utrumque. Utro modo locum interpretemur, ad sensum intelligendum haud multum interesse videtur.*) Friderico Buettnero, Rupertio, Heusingero, aliis viris doctissimis atque eruditissimis probatum est, casum esse sextum et »fabulis« a »decora«, »monumentis« a »traduntur« pendere, ut sensus sit: »digna fabulis, non historia, neque tradita monumentis incorruptis,« eorumque interpretationi assentiri nos quoque non dubitamus. Maiorem autem vim id habet, quid sibi velint voces: »*ante conditam* **condendamve** *urbem.*« Strothius aliique**)

*) *Bauerus* (in chrestom. Livianae pag. XX sub V. Decora f. p. Lips. 1824.) rem ita explicat: Decora p. fab. significat aut decorata per fabulas, exornata, aut quae deceant fabulas, non historiam: illis digna, non hac. Nempe ›fabulis‹, ut post ›monumentis‹ aut sexto aut tertio casu positum est. Hoc si fuerit, in monumentis non repetieris ›decora‹, sed solum verbum ›traduntur‹, sin illud, ut sit dativus, utrobique intelligendum ›decora‹. *Fridericus Buettnerus* adiecit: Est ablativus pendetque ›fabulis‹ a ›decora (exornata)‹, ›monumentis‹ a ›traduntur.‹

**) *Bauerus* (l. l. p. III ad praef. locum): Prius de tempore ante originem urbis, alterum de tempore, dum conderetur, priusquam confieret, explicat P. Nannius. Contra mihi videtur: nam certe si, quod condendum est, prius est eo, quod *conditum* sit, necessario tempora *ante condendam urbem* debent esse illa, quae fuerint, priusquam de *condenda urbe* quisquam cogitaret, id est, tempora, quae Troiam captam et Lavinium conditum secuta sint; ante *conditam* autem, cum iam esset condenda, cum iam aedificandae eius consilium Romulus et Remus cepissent, sed eam nondum exstruxissent. Nam quod ad Virgilii verba, *volvenda dies* i. e. quae volvitur, provocat, cui addiderit ex Cic. de Off. I, 8. extr. *de inferenda iniuria satis dictum* i. e. quomodo inferatur: id ab h. l. alienum est, cum *condita* urbs *a condenda* distinguatur, et aliquid certe maturius ac perfectius, quam *condenda*, significet. *Ante conditam urbem* referri debet ad tempus a mundo creato usque ad Romam conditam, *ante condendam* ad tempus a mundo creato usque ad consilium Romae condendae. Ergo idem utraque formula designat tempus, nisi quod tempus *ante conditam urbem* supra alterum quasi eminet, tantum scilicet, quantum intervalli interfuit inter consilium condendae Romae atque aedificationem. Jam vero quid hic opus addito *condendamve?* Tollit illud aut restringit latiorem notionem praepositi *ante conditam* haud aliter quam quum Germani dicunt: ›Die Stadt ist vor vier oder drei Jahren erbaut.‹ Igitur sensus est: Quae usque ad aedificationem Romae, aut certe, quae usque ad consilium Romae condendae facta esse traduntur, nec affirmare nec refellere lubet.

Idem in indice rer. et. loc. p. XV. s. v. condita c. u. . . .: ita differunt, ut illud sit, dum pararint condere urbem, nondum absolverint; hoc, dum ne cogitaverit quidem quisquam de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tempus »ante urbem conditam« id esse censuerunt, quod inter Romuli consilium urbis condendae et conditionem ipsam praeterisset, »ante urbem condendam« esse totam aetatem antiquiorem inde a prima populi Romani origine usque ad Romulum. Nannius, Heusingerus, alii illud »ante urbem conditam« totam aetatem superiorem esse, etiam id tempus, quod non ad urbem ipsam pertineat, hoc »ante urbem condendam« proximam esse aetatem, qua, ut urbs conderetur, iam constitutum esset, opinati sunt. Res igitur multo ante urbem conditam et proxime ante perfectam apud Livium significatas esse. Causam interserunt eam, quod temporis futuri participium, quum praesentis desit, in casibus obliquis illius (praesentis) loco ponatur; ita enim voces: »volvenda dies« eum, »qui volvatur«, diem significare. Idem contendunt Schulzius in gramm. Lat. §. 413, Zumptius in gr. Lat. §. 652 aliique. Accedit, quod coniunctio adiecta »*ve*« idem plerumque et id alio vocabulo exprimit (cf. Schulz. l. l. §. 223. Zumpt. l. l. §. 336). Id si verum statuimus, Livius nihil aliud quam res inde a Troiae excidio et Aeneae erroribus usque ad Romam conditam fabulis decoras esse poeticis professus esse putandus est. Et orationem eius si diligentius non examinaverimus, idem ipse cogitasse videbitur. Addidit enim haec: »Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat . . . ea est gloria populo Romano, ut, quum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo, quam imperium patiuntur.« Unde sequi videtur, ut id tantum significare voluerit, quis stirpis auctor, quibus parentibus natus, quomodo educatus sit. Utrum id censuerit necne, transmittere libet. Quamquam id, quod adiectum est: »Sed haec et *his similia* utcunque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine« neutiquam

---

illa condenda. (Buettnerius: Alia omnia accipe. *Condita urbs* est, quae condita stat, cuius aedificationem absolverunt: *condenda*, de qua aedificanda cogitatum s. consilium initum est. Non meminerat Bauerus, ab ipso hic nude poni formulas illas, et aliud esse *condita condendave urbs*, aliud *ante conditam condendamve urbem*). —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est negligendum; apparet enim, Livium ipsum non ignorare, praeter eas, quas de Romulo commemoraverit, res *alias iis similes* inveniri, alias igitur, quae post urbem conditam factae sint, poeticis ornatas esse fabulis, profiteri. Omnes eas res, quae poeticis fabulis exornatae, quarum summa capita argumentaque vera essent, quae denique incorruptis monumentis non traderentur, nec affirmare nec refellere in animo ei fuisse mihi videtur. Quod quidem ita se habere, vera illius, quem laudavimus, loci interpretatio docet. Eiusmodi enim res quin non solum ante urbem conditam sed etiam post occurrant, quis est, qui dubitet? Quod idem ita esse, Livius ipse affirmat. Ad miram illam rem, quam Horatium Coclitem gessisse narravit, hoc adiicit: »rem ausus plus famae habituram ad posteros quam fidei.« Quae verba nescio an nullam aliam vim habeant, quam si profiteatur, nec posteros nec se ipsum fugisse, tantum abesse, ut ea res vera sit, ut poeticis fabulis esse exornata videatur. Ergo illa poeticis fabulis decora usque ad Horatium Coclitem utique pertinent. Quid, quod ipse affirmat (Liv. II, 21), magistratuum ipsa etiam nomina incerta fuisse: »Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosnam (quosdam), nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis.« Denique, id quod gravissimum est, in initio libri sexti affert haec: »Quae ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani . . . gessere . . . quinque libris exposui, res quum vetustate nimis obscuras, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod parvae et rarae per eadem tempora literae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod, etiamsi in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere.« Exploratum igitur habemus, res Romanorum antiquas usque ad illam Gallorum incursionem, usque ad urbem incensam et iterum conditam esse vetustate nimis obscuras monumentaque urbis incendio pleraque interisse, quae traduntur, ea in fama, non in monumentis, certe non in incorruptis posita esse. Ergo ea, quae usque ad urbem incensam Romani gesserunt, monumentis vel nullis vel non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

incorruptis tradita sunt. Quod si Livius ipse ita scripsit, quin illud Livianum: »Quae ante urbem conditam condendamve . . . traduntur« reapse usque ad Romam a Gallis incensam iterumque conditam pertineat, minime dubitamus neque hodie eruditissimus quisque dubitabit. Quare quid refert, prior an altera urbis conditio commemoretur? Inde intelligimus, coniunctionem quoque »ve« suo loco positam esse; res enim, quales ante urbem primo conditam, tales postea usque ad eandem incensam iterumque conditam urbem, quae urbs erat condenda, fuere. Itaque hoc »condendam« participium temporis futuri esse nobis videtur, quod eam urbem, quae aetate futura condetur vel condatur oportet, significat. Unde fit, ut non dubitemus, illum, quem laudavimus, locum ita interpretari, ut dicamus: ante et post urbem primo conditam usque ad eandem incensam a Gallis vel, id quod idem est, *ante urbem primo vel iterum conditam.* Videmus igitur, omnia, quae illa aetate antiquissima Romanos gessisse rerum scriptores narrant, literis, earum rerum memoriae una fideli custodia, non servata, non tradita esse, sed auditione et fama, neque potuit fieri, quin annalium auctores et eorum, qui ex annalibus antiquissimis quasi ex fonte quodam hauserunt, scriptorum alii aliis ornamentis fabulisque poeticis singula amplificarent. At vero praetermitto, quae res et quomodo amplificatae sint fabulis; sed praetermittendum non est, quin dicamus, monumenta non omnia, qualiacumque fuerunt, defuisse nec Romana omnia incendio urbis interisse. Nonnulla saltem monumenta in Capitolio flammis consumta non sunt, alia in oppidis propinquis, quo propiora ad illud tempus, eo plura, sine dubio relicta erant; exempli causa nomino pactiones tres cum Carthaginiensibus de mercatura exercenda factas, quae pacta se inspexisse Pólybius commemorat, et foedus cum Latinis et Hernicis ictum, quod columna aenea insculptum fuisse apud Livium legimus. cf. Pol. III, 22. 24. Liv. II, 33. 9. Quid multa? Rerum antiquissimarum capita posteritati vera tradita fabulisque ut ita dicam poeticis exornata esse, quis non intelligit? Denique eiusmodi res Livius apud annalium scriptores invenit et ipse vir veri amantissimus memoriae prodidit, sed nec affirmare nec refellere in animum induxit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Consilio igitur ea, quae traduntur, nisi aut Romanorum vanitate metuentium, ne clade quadam accepta praeclarissima illa imperii gloria obscuraretur et evanesceret sibique infamia quaedam aspergeretur, aut factionum domesticarum vel ira vel studio, corrupta non sunt. Qua ratione Livius in singulis rebus, propterea quod aut deceptus erat annalium narratione aut, quid verum esset, investigare noluerat vel neglexerat, eodem modo lapsus sit, paucis exponemus exemplis.

II.

Porsena, rex Clusinorum, civitatis tum validissimae, Romam infesto exercitu profectus est. Ad Janiculum, ubi Romanos fudit fugavitque, etsi una cum victis per pontem sublicium paene in urbem penetravit, quibusdam tamen resistentibus, repulsus est ponsque rescissus. Tiberim postquam, navibus undique accitis, traiecit et castra in plano posuit, obsidione et inopia urbem oppressit, quod ne fieret, C. Mucius frustra periculum subierat. — Quae res, quamvis temporibus posterioribus fabulis poeticis exornatae et amplificatae sint, non tamen prorsus fictae sunt nec suppositae. Eadem Livius (II, 9—14), Dionysius Halicarnasseus (V, 21 seqq.), Polybius (VI, 55), Florus (I, 10) prodiderunt et ipse etiam Cicero in oratione pro Sextio (21) mentionem facit Porsenae. Horatius Cocles utrum cum duobus commilitonibus an cum pluribus in primum aditum pontis vaserit et hostem obstupefecerit (Liv. l. l. 10, 5), incolumisne multis superincidentibus telis per flumen tranatando se receperit (Liv. l. l. 10, 11), an aqua perierit (Polyb. l. l.), C. Mucius adeo fortiter egerit et passus sit, ut regem, ne in urbis obsidione perseveraret, deterruerit et ad pacis condiciones ultro ferendas periculo imminente adduxerit, an rex, sibi hosti pericula in bello imminere summa non ignorans in obsidione urbis perseverarit atque vi et inopia urbem ceperit, hoc loco investigare nobis in animo non est. Quamquam quin eae, quas tetigimus, res ornamentis amplificatae sint, nihil dubi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamus. Quam rem pressuri sumus, is est belli exitus. Porsena enim condicionibus quibusdam pacem cum Romanis ultro non iniit, sed in suam potestatem ac dicionem eos subegit. Livius igitur hoc loco aut annalibus deceptus est aut ipse, ne gloriae suae gentis obtrectaret, metuens falsa excipere quam refellere maluit. Namque apud alios rerum scriptores occurrunt, quae Romanos in fidem Porsenae se dedidisse testentur (Tac. ann. III, 72). Senatum Porsenam regem consalutasse ea re demonstratur, quod cum insignia regia tum sella eburnea ei dono data esse feruntur. Condicionem Romanis, ne ferro nisi in agricultura uterentur, constitutam esse, Plinius (in Hist. Nat. XXXIV, 39) testis est. Itaque, quum iis ferri usus, nisi ad agros colendos, permissus esset nullus, armis exuti sunt et ea tradere iussi; ergo non condicione aequa ac placida pacem conciliarunt, sed vi sunt subacti. Adde, quod de parte agri tertia, quam in dextera Tiberis ripa fuisse verisimile est, Romanis decedendum fuit; ea enim parte ut victoribus devicti temporibus antiquis cederent, morem fuisse praeter alios Caesar testatur (de bell. Gall. I, 31): »Ariovistus . . . quod tertiam partem agri Sequani . . . occupavisset et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere iuberet.« Quam rem aegre ferenti ille Germanorum dux, id ius esse belli, respondit, neque quidquam Caesar ei obiicit. Apud Livium (II, 13. 4) quidem legimus: »De agro Veientibus restituendo impetratum,« unde apparet, agrum quemdam tum redditum esse Etruscis; sed (l. l. 15, 6) annotatum invenimus: »agrum Veientem foedere ad Janiculum ademptum restituit.« Errorem quemdam his locis inesse certum videtur. Namque qua ratione bellum Etruscum compositum esset, iam aetate Liviana mutatum erat, ne gloria populi Romani infamia quodam modo aspersa videretur, quod idem est, cur ager restitutus dicatur. At Servius Tullius urbem in quatuor, agrum Romanum in viginti sex tribus divisit (cf. Dionys. Hal. IV, 14—15. Varro apud Non. Marcell. c. 1. s. v. viritim. Lael. Fel. apud Gellium N. A. XV, 27). Quarum tribuum viginti sex agrestium nomina Dionysius affert et scriptores alios aliter scripsisse addit. Livius (II, 21, 7) ad annum 256 a. u. c. annotat: »Romae tribus una et viginti factae.«

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Decem igitur tribus vel, id quod idem est, tertia totius agri Romani pars, inde a Servio Tullio usque ad eum, quem modo diximus, annum amissae erant. Tarquinius Superbus rem in bellis praeclare gesserat et quoties cum hostibus congressus erat, toties superior ita discesserat, ut fines dilataret. Bello quoque Latino (255. a. u. c.) Romani, quum ad lacum Regillum hostes fudissent, agri amiserunt nihil. Neque vero ullum aliud atrocius illis temporibus bellum gestum esse invenimus, quam id, quod fuit cum Porsena. Ergo, eo bello composito, Romani de illa tertia parte, quae sine dubio in ripa Tiberis dextera erat, ex iure bellico decesserunt, non statim, sed multo post eam recepere. De obsidibus, quos datos esse apud omnes rerum Romanarum scriptores constat, atque de nobili illa Cloelia pauca sufficient. Cloeliam frustratam custodes, custodem agminis virginum inter tela hostium Tiberim tranasse sospitesque omnes Romam ad propinquos restituisse et quum rex ad eamdem obsidem deposcendam oratores Romam misisset a civibusque pacis ex foedere restitutam et a rege parte obsidum donatam esse, Livius refert, alii autem, regem omnes obsides interfecisse unamque *Valeriam* e manibus Etruscorum effugisse narrant (cf. Polyb. l. l.). Imminuta ne Romanorum auctoritas ac gloria videretur, quin res vel ficta vel laudibus elata sit inanibus, dubium esse non potest. Quod si ea, quae diximus, paucis complectimur, Romanos in fidem Porsenae se dedisse invenimus condicionibus his, primum ut regnum regiaque insignia ad regem Etruscum transferrentur, deinde ut arma traderentur neque Romanis, nisi ad agros colendos, ferro uti liceret, tum ut Romani de tertia agri parte, quae in Tiberis ripa dextera esset, decederent et ex reliquo agro fortasse decumas darent, postremum ut obsides traderentur.

III.

Sed haec hactenus. Oratio nostra transfertur ad Gallorum incursionem in agrum urbemque Romanam factam. Ineunte quarto saeculo a. Chr. n.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

varii motus inter Celtarum gentes, Iberibus fortasse incitantibus, orti sunt. Multitudo ingens Alpes transgressa est. Alii, mari Hadriano superato, per multos annos a montanis ferocibus, qui Scardum et Orbelum incolebant, impediti, quominus progrederentur, saeculo post in Graeciam irruperunt, alii Italiae partem superiorem occuparunt et propter locorum fertilitatem pascuorumque ubertatem in utraque Padi ripa consederunt, quo factum est, ut ea terra, quae inter Alpes et Apenninum est, Gallia cisalpina appellaretur. Qua regione occupata non contenti ad meridiem versus progressi sunt et, Clusini ut sibi agros darent, postularunt. Illi hominum forma invisitata, fama virtutis maximae vulgata armorumque genere perterriti cum Romanis, sive ipsi auxilium ab iis petierant, sive illi exercitum ad Gallos progredientes explorandos repellendosque miserant, societatem quamdam inierunt. Legati tres, M. Fabii Ambusti filii, missi sunt, qui cum Gallis de reditu agerent, et ab iis repudiati, armis captis, contra ius gentium ante signa Clusinorum pugnantes fortitudine eluxerunt. Q. Fabius ducem Gallorum occidit. Iniurias questum legati Romam venerunt et quum neque senatus neque populus postulata concessisset, Romanis minantes animisque infensis ad suos redierunt. Omnes citato agmine iter ingressi ad Alliam cum tribunis militum armis conflixerunt. Romanis partim occisis, partim in fugam datis, Galli ad urbem Romam pervenere captamque incendio deleverunt. Inventus Romana arcis tuendae causa in Capitolium confugerat ceterique cives aut concisi sunt aut ex portis nondum obseptis fuga salutem petierunt. Turba seniorum, qui curules gesserant magistratus, quum in aedium vestibulis sedentes hostium adventum obstinatis ad mortem animis exspectarent, trucidati sunt. Capitolium obsidione premebatur. Nocte sublustri Galli quidam arcis montem praeruptum ascendentes in summum iam evaserant, quum anserum strepitu excitatus M. Manlius hostem proturbavit. Mille pondo auri pretio tandem impetratum est, ut, Capitolii obsidione omissa, Galli in patriam rediturі essent. Quae res dum geruntur, M. Furius Camillus, dictator iam dictus, manu delecta, quum Ardea adventasset, auferri aurum de medio et Gallos submoveri ferroque, non auro

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recuperari patriam iussit. Instructa in semirutae urbis solo acie, acriter pugnatum est. Haud ita multo post alterum proelium ita factum est, ut vix unus miles, qui cladis acceptae nuncium in patriam referret, ex Gallis relinqueretur. Ita Gallorum expeditionem narrat Livius (VI, 35—50). Res et plerasque et gravissimas haud procul a vero esse atque inter omnes scriptores convenire non ignoramus. Fama cladis Romanae captaeque et dirutae urbis in ipsam Græciam perlata erat eademque res omnium Romanarum prima Olympiadum rationibus definita est et quidem aut in primo aut in tertio anno Olympiadis nonagesimae octavae posita. Pauca dubia esse persuasum habemus. Utrum Romani cum Gallis progredientibus ad Alliam ultro armis conflixerint, an a Clusinis auxilio vocati exercitum produxerint, non convenit quidem inter omnes, sed nescio an gentium ius a Fabio violatum, a Romanis igitur maximam Gallis iniuriam illatam esse numquam memoriae prodiderint, nisi ita res se habuisset. Quod ad caedem nobilium attinet senum, id etsi facinus simillimum, quod a Persis patratum est Athenis, in memoriam revocat, ob eam tamen causam falsum non est. Quavis aetate atque in fortissimo quoque et praeclarissimo populo viros multos et magnanimos pro patria se ipsos sua sponte morti obtulisse, quis est, qui nesciat? Meliore iure addubitamus, num Romani una clade ad Alliam accepta ita sint perculsi, ut urbem ultro desertam, nullis in moenibus praesidiis collocatis, hosti reliquerint nec quicquam ad eam defendendam conati sint. Nobis enim persuasissimum est, Gallos, munimentis expugnatis, iis, qui arma tenebant, occisis aut repulsis, vi Romam cepisse. Ea res cladi sponsionique *Caudinae* simillima est. Livius enim (IX, 5—6) refert, tantum tum abfuisse, ut in furculas Caudinas temere introgressi, quum viam deiectu arborum saxorumque ingentium clausam et praesidium in summo saltu collocatum conspicerent, ne minimum quidem hostis reiiciendi iugaque superandi conatum facerent, ut L. Lentuli legati oratione commoti sponsionem inirent. Quis est, qui Romanos milites omnium vel fortissimos ac pugnarum laborumque longe patientissimos tam timide unquam hostium armis decessisse credat, qui sibi persuaserit, et a Gallis et a Samnitibus una clade eos ita

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse repulsos et devictos, ut, altera pugna facta nulla, primum ex urbe fugerent et postea sponsionem inirent? Posterioris aetatis Romanos, maiores suos unquam a populis tum iam devictis superatos esse vel alia calamitate Romam, cui urbi aeternae universus terrarum orbis fatis deorum subactus esset, oppressam fuisse cogitare taedebat atque pudebat. Itaque quum rem male gestam, urbem a Gallis per vim captam praeterque Capitolium ferro incendioque deletam, cum Samnitibus sponsionem factam esse, negare non possent, sua sponte quam necessitate coacti moenia deseruisse et pactione, non clade pacem peperisse videri malebant. Quare proxime fidem est, annalium iam scriptores Romanos rem eo, quem supra diximus, modo adumbrasse et Livium, quippe qui ipse eam ita fuisse concupisceret, certioribus aliis, quae in oppidis Italiae forsitan superessent, monumentis neglectis, relatam libenter suscepisse ac memoriae prodidisse.

Restat, ut id, quod gravissimum est, examinemus, utrum Galli, Camillo dictatore, devicti et ad unum omnes occidione occisi sint, an cum auro accepto in patriam reverterint. Proinde quaeramus, quid alii rerum auctores scripserint. Polybius (II, 18) ita narrat: *Γενομένου ἀντισπάσματος καὶ τῶν Οὐενέτων ἐμβαλόντων εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, τότε μέν ποιησάμενοι συνθήκας Ῥωμαίοις καὶ τὴν πόλιν ὑποδόντες ἐπανῆλθον εἰς τὴν οἰκείαν.* Galli igitur, icto cum Romanis foedere, urbe relicta, domum redierunt. Ita Livius et Polybius non solum alia diverso modo referunt, sed etiam in summa rei omnino discrepant. Polybius enim repugnari coeptum esse dicit, Livius, dictatore duce victorias reportatas esse duas; ille foedus ictum esse narrat, hic Romanos, quum in eo essent, ut cum Gallis paciscerentur aurumque solverent, a Camillo liberatos esse. Quod vero maximum est, ut leviora alia omittamus, Livius Gallos ad occidionem occisos esse, Polybius, domum redisse existimat. Itaque quaeritur, utri scriptori potior in hac rerum relatarum discrepantia fides sit habenda. Quis est, quin miretur, Camillum eo ipso tempore, quo aurum commodum penderetur, exercitum adduxisse, eosdem milites, qui ad Alliam devicti ne domos quidem neque parentes, neque uxores liberosque, neque templa deorum, neque quidquam sacri sibi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que cari ab hoste adventante defendere ausi esse, sed omnia sibi cara et sancta trepidantes deseruisse dicuntur, tum divina quadam fortitudine hostem adortos devicisse? Quod si apud Livium plura esse minus verisimilia animadverteris, in ea, quae in hac narratione utrique tribuenda sit, auctoritate Polybium Livio praeferre non possumus dubitare; sane multo minus dubitabimus, si alios rerum scriptores fidei atque auctoritatis spectatae ac nobilitatae eadem atque Graecum retulisse inveneris. In quibus Suetonius (in vitae Tiberii cap. III) refert: »Traditur (Drusus) pro praetore ex provincia Gallia retulisse aurum, Semnonibus olim in obsidione Capitolii datum nec, ut fama (est), extortum a Camillo.« Is igitur affirmat, traditum esse, primum illud aurum relatum, unde per se efficitur, Gallos olim cum auro, ut narrat Polybius, domum redisse, tum ea, quae Livius de duabus Camilli victoriis scripsit, in nullo monumento nisi in fama posita ac firmata fuisse. Illam autem famam a Romanis exisse, a Romanis servatam, inter Romanos ipsos divulgatam esse, per se constat, nec, quin eam Romani pro suo quisque studio mutaverint, dubitamus. Cum Polybio et Suetonio eadem propemodum narrat Diodorus Siculus (XIV, 116). Quae testimonia attulimus, ea nobis sufficere videntur, ut scriptores alios aliter rem narasse intelligamus. Reliquum igitur est, ut, quae fides, quae auctoritas in utriusque narrationis scriptoribus insit, diligentius conquiramus. Quid? Polybius, qui unus ex mille illis Achaeis in Italiam, ut se defenderent, missis et, priusquam ullius criminis convicti essent, in vincula coniectis Africani minoris animum sibi conciliarat ac familiaritate utebatur, qui literis artibusque et Graecis et Latinis eruditus erat, qui tot annos in Italia, in domo Scipionis vixerat et diligentissime monumenta aetatis antiquae Romana conquisiverat et memoriae tradidit, quorum exempli causa nomino foedera Carthaginiensium cum Romanis de navigatione et mercatura facta (Pol. III, 22. 24.), nonne dignus est, cui fidem habeamus maximam? Quid? Is, quem inde a bellis Punicis, quorum causa, ut Hannibalis iter accurate et ad veritatem perscriberet, Alpes permigravit, Livius ipse sequi non dubitavit, ut apud omnes viros eruditos constat, nonne illi anteponendus est, ubicunque id agitur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

uter in rerum discrepantia verum tradidisse potius videatur? Quid? Eumdem, quem veteres scriptores admirati sunt, cuius fide atque auctoritate omnes posteriores confidere ac niti non dubitarunt, qui natione Graecus inanitate illius gloriolae Romanae vacavit, hoc uno loco opinionibus et fama gentis superbae in errorem raptum esse nec vera invenisse num suspicari nobis licet? Id procul a nobis absit! Quo quid evidentius, quam Polybium verum narrasse? Galli cum auro domum redierunt.

At vero, quum Romani tot menses obsessi fame omniumque copiarum inopia premerentur, quid fuit, cur, obsidione Capitolii omissa, tam subito reverterentur, auri mille pondo accepisse satis habentes? Eas causas conquirere et conferre haud difficile erit. Unam Polybius attulit, quod Galli, postquam Venetos in suam patriam praedabundos incursionem fecisse audiverunt, suas ipsi domos ab hoste defendere coacti in obsidione perseverare nequiverunt. Altera et ea gravissima ne Livium quidem praeteriit. Refert enim (V, 48, 1—2): »Gallos pestilentia etiam (urgebat), quum loco iacente inter tumulos castra habentes, tum ab incendiis torrido et vaporis pleno, cineremque non pulverem modo ferente, quum quid venti motum esset.« Qualis res fuerit, si *coelum Italicum*, quo nihil hoc loco gravius est, consideraverimus, satis intelligemus. Dies Alliensis est XV Cal. Sext. Per mensem igitur Sextilem Capitolium obsessum est, quo mense caloris vis in agro Romano quam maxima est peregrinisque periculosissima. Singulis tum diebus inde ab hora tertia augetur, sub meridiem adeo fit intolerabilis, ut omnes paullatim ex solis aestu in umbram discedant; post horam sextam usque ad nonam vel decimam indigenae in aedificiorum penetralibus tamquam defatigati remanent: forum locaque omnia publica vasta sunt et deserta; hora circiter octava vel nona cuncti quiescunt. Stratas vias tum ita esse calidas, ut canum pedes infimi torreantur, apud Romanos hodie etiam in proverbio esse solet. Nemo nisi peregrinus ita esse potest improvidus ac stultus, ut tum foris potius quam domi commoretur. De hora undecima loca aperta hominibus denuo complentur. Haud ita multo post quam sol occidere incipit, quam vesperascit, quum tenebrae propemo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dum subito intendantur, aër frigidus, ut ita dicam gelidus fit; fenestrae et ianuae clauduntur et qui foris est, veste maxime se velat, quies sub divo perniciosissima est. Multi tum febri quadam tentantur et qui in eam incidunt, iis aut ex urbe festinandum est in iuga montium aut mortem occumbunt. Tale est coelum Romanum. Aliud quoddam accedit. Homines enim, qui in terris frigidioribus vitam degunt, carne cibisque aliis firmioribus vesci assueverunt; quo longius ad meridiem versus vivunt, eo magis iis fructus soli ad vitam sustentandam sufficiunt. Quibus cibis illi valent, ii horum valetudini facile nocent. Itaque si cogitaveris, quanta ob eam causam in hominum alimentis sit differentia, non ignorabis, Romanis quanto minus firma valetudine Galli in Italia usi sint. Omnibus, quas commemoravimus, rebus bene ponderatis, quin Galli, gens humori ac frigori (Liv. V, 48, 3), non æstui Romano assueta, tum et sagis fortasse et tentoriis maximamque partem cibis necessariis ac salubribus carentes nec coeli Romani satis periti, quum in ruinis Romae, urbis dirutae, castra haberent, aestu febrique et aliorum morborum impetu maxime laborarint, non dubitabimus. Iis idem accidisse putandum est, quod saeculis posterioribus plurimis Germanis evenit. Imperatore enim Lothario Saxone tot milites in agro Romano perierunt, ut celeriter ei exeundum esset. Fridericus primus paucis diebus plus viginti milia militum febri perempta amisit, quare subito Italia excederet et fuga salutem peteret necesse erat; Arnulphus, Ottones, Henricus sextus, alii aut vita ibi defuncti sunt aut aegroti redierunt. »Gallorum ipsorum quoque multa milia, aestu et angore vexata, in agro Romano, vulgatis velut in pecora morbis, mortua esse, ut iam pigritia moti reliqui singulos sepeliendi promiscue acervatos cumulos hominum combusserint,« Livio (V, 48. 3) credimus. Sed quum res ita esset, brevi tempore numerus militum adeo diminutus erat, ut superstites neque ad arcem Romanam expugnandam residere neque Romanos, qui antea fugerant, Latinosque, si impetus fecissent, diutius etiam repulsum iri sperare possent. Auro igitur accepto contenti esse et domum redire quam omnem salutem in pugnarum discrimine ponere mallent oportuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pabulandi frumentandique difficultas tertia fuisse causa abeundi videtur. Gallorum enim plerique equis vehebantur, unde apparet, non frumenti solum, sed etiam pabuli ingentem copiam comparandam fuisse. Ager vero Romanus praeter Pomptinum, quae regio fluviis Amaseno et Useno multisque torrentibus monte devolutis rigatur, maxime sterilis nec pratis pascuisve abundat, ut ne frumenti quidem ad incolas alendos necessarii satis edat. Ita fit, ut magnae copiae ibi diu ali non possint iisque, si adsunt, ex Campania aliisque locis remotioribus commeatum advehi necesse sit. Eadem inopia Galli ipsi quoque etiam atque etiam et ita urgebantur, ut singulae manus et eae, ne Capitolii obsidio solveretur, sine dubio plerumque parvae in regiones et propiores et remotiores frumentandi pabulandique causa dimitterentur. Quibus praedationibus et populationibus irritati Latini, Campani, alii, ut agros suos ipsi ab hoste defenderent, armis captis, praedantium vel plurimos conciderunt. Romani ipsi etiam, qui Ardeam et Veios fugerant, Camillo fortasse duce, singulas manus, signis collatis, adorti interceperunt, certe multos sensim milites occiderunt. Quibus victoriis quamvis parvis reportatis, famam exortam esse suspicamur, Gallos ad unum omnes, Camillo duce, concisos esse. Id saltem apparet, eo modo Gallorum quam plurimos interisse nec satis eorum superfuisse, ut, praesertim quum longe lateque quotidie hostium infensorum numerus cresceret, in obsidione Capitolii perseveraretur. Jam manifesto apparere opinor, non defuisse, quod Galli cum obsessis de reditus sui pretio agerent et, auro dato, reverterentur.

Sed unde narratio Liviana profecta sit, hoc loco fortasse quaesieris. Victorias exiguas, Camillo duce, Romanos de manibus praedatum dimissis reportasse verisimile esse, iam supra commemoravimus. Adde, quod post Gallorum reditum semel atque iterum Romani, Camillo filio, M. Valerio, cui inditum est cognomen Corvo, aliisque ducibus, cum eodem hoste in agrum Romanum ingresso armis dimicarunt et eum repulerunt. Evenisse igitur potest, ut parvae res, quas pater gesserat, exornatae sint filiique victoriae in patrem magnum translatae et amplificatae. Certe hoc mihi videtur manifestum esse, Livium in hac re narrata postponendum esse Polybio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IV.

Oratio nostra ad aliud iudicium Livii iuiquum et sine dubio falsum transit. Facit enim, ut supra diximus, cum nobilibus; itaque fit, ut cum maioribus ex nobilitate eos, qui imprimis plebi favebant, licet viros beneficos et magnanimos, criminis alicuius arguat atque rem, quamquam non affirmat, minime tamen refutet. Singula explicare et iudicium falsum esse argumentis et scriptorum auctoritate demonstrare longum est, summa tantum capita tangere in animum induximus.

Spurius Cassius Viscellinus, vir manu fortis et animi magnitudine nobilitateque ipsius generis et rebus domi militiaeque gestis praeclarissimus, quum primus legem agrariam promulgavisset, apud patres in suspicionem venit, largitione se periculosas libertati opes struere. Regni iudicio populi, sine dubio comitiis curiatis, accusatus est et necatus. Haud quidquam Livius ad Cassium, virum tantum tamque bene meritum de republica, defendendum affert (Liv. II, 41) atque legem eius ipsam venenum appellat, quo veneno suo, lege agraria, tribuni plebem agitassent. Rem ita refert, quasi motus illi ex hac lege orti essent, propterea quod ex copia (frumenti) otioque lascivirent plebis animi et pristina mala, quum foris deessent, domi quaererent, nec ex eius egestate orirentur necesse fuisset. (Liv. II, 52, 2). Ad unum omnes, qui tribuniciam potestatem populari illa lege celebraverunt, ab eodem vehementissime obiurgantur. L. Aemilio C. Fabio consulibus (a. 270 a. u. c.) sollicitati sunt a tribunis dulcedine agrariae legis animi plebis; consules ad resistendum eo anno imprimis Icilio, insequente C. Pontificio patrum duces fuere. Livius ut ita dicam invenit eos, in quos virus acerbitatis suae evomeret, quum referret: vanam legem vanosque legis auctores iactando irritum munus factos esse. (Liv. II, 34). L. Furio C. Manlio consulibus (a. 280. a. u. c.) eiusdem legis tribuniciis stimulis plebem furuisse, consules magistratu abeuntes a Cn. Genucio tribuno plebis arreptos, non accusatos, esse, tribunum ipsum domi, ut nuntiatum esset,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mortuum, non obtruncatum, esse a patribus quibusdam inventum apud eundem scriptorem legimus (Liv. II, 54).

Spurius Maelius privata pecunia frumentum coemit et eius largitione plebem inopem levavit. Livius scit, eum rem utilem pessimo exemplo, peiore consilio aggressum esse, non de consulatu, sed de regno agitasse, fuisse igitur, cur Ahala Servilius in foro virum trepidum, fidem plebis Romanae implorantem et opprimi se consensu patrum dicentem, quod plebi benigne fecisset, assecutus trucidaret. (Liv. IV, 13).

M. Manlium, qui vir nobilis et generosus Gallos Capitolium iam ascendentes repulerat arcemque defenderat, plebis aere alieno oppressae omnisque generis inopia ac calamitate laborantis miserebat. Apud Livium vir appellatur vanis opinionibus, inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens et impotens, qui primus omnium ex patribus, — perinde ac si Sp. Cassius homo de plebe fuisset, — popularis factus esset, qui cum plebeiis magistratibus consilia communicasset, qui fidem moliri coepisset, nec, quamquam vim aeris alieni incredibilem, rem etiam patribus damnosissimam, aedificando fuisse contractam negare nequit, nihil tamen laudis nec excusationis addit. (Liv. VI, 11). A. Cornelius Cossus dictator eum in carcerem coniecit. Magnam partem plebis vestem mutasse, multos capillum et barbam promisisse, obversatamque vestibulo carceris moestam turbam, ait Livius, munificentiam autem, benignitatem, liberalitatem Maelii iustitiamque moerentis plebis laudibus tali virtute dignis non effert. (Liv. VI, 16). Recrudescente seditione, advocata domum plebe, cum principibus novandarum rerum interdiu noctuque consilia eum agitasse, inde de regno agendi ortum esse initium dici, Livius affirmat neque tamen negare potest, nec cum quibus nec quem ad finem consilia pervenissent, sat planum traditum esse. (Liv. VI, 18). Manlium in campo Martio criminis centuriatim absolutum esse non negat ille, sed addit, in luco Poetelino crimen valuisse, quasi, Manlium insontem factionis odio atque invidia ibi comitiis curiatis capitis damnatum esse, non constaret, quasi saltem, quin res ita esset, fieri non potuisset. Ita exitum viri non solum, nisi in libera civitate natus esset, memorabilis, sed etiam vir-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tute ingenioque nobilissimi et rebus gestis animique probitate et liberalitate de tota republica vel optime meriti nemo narrat, nisi qui ipse stet a partibus adversariorum.

Quid plura? Intelligimus ex iis, quae commemoravimus, res Romanas, quales in annalibus invenerit, tales Livium narrare, sed aut monumenta non omnia inspexisse aut inspicere noluisse, et maxime, ubicumque calamitas quaedam populi Romani ageretur, noluisse. Intelligimus, eum, quum a nobilium partibus staret, eorum, qui cum plebe facerent, virorum virtutem ac merita aequo minoris aestimasse criminaque, quasi non dubia esse possent, memoriae prodidisse. Ceteroquin Livii antiquissimarum rerum Romanarum historiis praeter paucas summa fides maximaque auctoritas tribuenda est, verum res ipsae in monumentis non incorruptis positae, fama traditae, multae igitur fabulis quodam modo poeticis ornatae sunt. Inde ab expeditione Gallorum et urbis incendio historiae Romanae tanto luculentiores et veriores esse incipiunt, quanto magis ab illo tempore distant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf